

CORILLVS REX GOTHORVM.



COrillus ob plurimas uirtutes apud Gothos in Scythia habitantes in maxima authoritate fuit. Itaq; post Comositū cōmunibus suffragiis rex Gothorū electus est. Illud regnū magna gloria per quadraginta annos administrauit, atq; suā gētē ad pacem & uarias disciplinas excolendas incitauit. Eius tempore Christus saluator in lucem æditus. Itaq; sub eo Gothi sapientum suorum consilio doctrinis et præceptis philosophicis plus quàm armis & militaribus exercitijs intenderunt, præsertim cū ipsi à nemine lacerarentur, & ubiq; Dei ordinatione pax constituta esset, Ioan. Magn. in Hist. Goth. lib. 3. cap. 20.